

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. carta

Sábado 21.08.2021

## Carta del Santo Padre al Legado Pontificio para la V Centenaria Coronación de la Virgen Negra de Oropa (Santuario de la diócesis italiana de Biella, 29 de agosto de 2021)

El 26 de junio de 2021, el Santo Padre nombró a Su Eminencia el Sr. cardenal Giovanni Battista Re y decano del Colegio Cardenalicio, legado pontificio para la V Centenaria Coronación de la Virgen Negra de Oropa, que tendrá lugar en el santuario mariano de la Diócesis de Biella (Italia) el 29 de agosto de 2021, último domingo del mes, día en que la efigie de la Santísima Virgen María es coronada cada 100 años desde 1620.

El Eminentísimo legado estará acompañada por una misión compuesta por los siguientes eclesiásticos:

1. Rev. Can. Ezio Zanotti, párroco de S. Eurosia y S. Maria della Pace en Pralungo, así como miembro del Consejo de Administración del Santuario de Oropa;
2. Rev. Giovanni Panigoni, ex administrador delegado del Consejo de Administración del Santuario de Oropa y actual párroco arcipreste de S. Giacomo in Biella Piazza.

### Carta del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro  
**IOANNI BAPTISTAE S.R.E. Cardinali RE**  
Collegii Cardinalium Decano

Maior aurora resplendet inter angelos pulchritudo gloriae Beatissimae Virginis Mariae, quae “amicta sole, et luna sub pedibus eius, et super caput eius corona stellarum duodecim” (*Apc* 12,1) tamquam Regina et Mater super hominum aeternam salutem amanter suaviterque evigilat. Cuius tuto praesidio christifideles firmiter confidunt, qui ad eius praeclaram effigiem Oropensem iam a sescentis annis peregrinantur, atque per hanc Dominam Nigram, quae formosa est sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salma (cfr *Ct* 1,5), copiosas gratias a Deo pleno misericordiae recipiunt.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Roberti Farinella, Episcopi Bugellensis, celebre simulacrum Beatissimae Virginis Mariae in montibus Bugellae, Dominae Nigrae titulo appellatum, corona aurea rursus coronatum iri, sicut ab anno MDCXX centesimo quoque anno fieri solet. Quapropter Egregius Praesul

humanissime quaesivit ad sollemniorem efficiendum memoratum coronationis ritum magisque honorandam Deiparam Virginem Mariam, ut Nos Patrem Purpuratum eligamus, qui apud hoc sanctuarium inter Missarum sollemnia personam Nostram gerat. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui praees Collegio Cardinalium atque multos per annos Nobis Nostrisque Praedecessoribus magno animo praestas auxilium, ad memoratam celebrationem fidenter destinamus, ut Nostro nomine effigiem Dominae Nigrae sollemniter novo diademate corones. Itaque hisce Litteris Legatum Nostrum te nominamus ad supra dictum incoronationis officium sollemni modo explendum die XXIX mensis Augusti Oropae.

Cum vero liturgicis ritibus praesidebis Nostramque benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim illius communitatis Pastori. Populum deinde congregatum ferventer hortaberis ut Beatissimam Mariam Virginem piissime colat: non tamen verbis, sed tali modo - sicut mire vultus Mariae et Iesu sine ullo pulvere quotannis invenitur ut animaeque christifidelium sine macula peccati magis magisque fiant.

Nos profecto tuam missionem precibus comitabimur, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctissimae Dei Genetricis Mariae eiusque Sponsi sancti Ioseph, cui hic annus praecipue est deditus, necnon sancti Eusebii Vercellensis, qui illis in partibus Italiae Evangelium praedicabat. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petri ministerio exercendo preces postulantes.

Ex Aedibus Vaticanis, die V mensis Augusti, anno MMXXI, Pontificatus Nostri nono.

FRANCISCUS

---